
118

118



Sæcurum ab ipso nil homine est viris
Vnis, regendi mens hominum fame
Atq; auri auaro ducta amore
Cæca ruit facinus per omne
En en superbas Thrax ferus apparat
In nos cohortes, castraq; Parthica
Addit pharetratis Gelonis,
Et phrigios, celeresq; Persas,
Doctum & venenis spicula medicis
Armare Pænum, nec metuentia
In morte mergi gloriosa
Pro patria incolumi atra Bactra
Nec Terra tantum non capit has manus,
Verum per altum vela volant salum,
Credas superbas innatare
Cycladas, Æoliasq; moles,
Hæc est deorum consilio tuę
Decreta fronti laurea Carole
Nec tu sinas hostes inultos
Vertere sacra, fidemq; nostram,
Regum est Tyrãnos vincere perfidos,
Et pertinacem auferre superbiam,
Regi potenti grande probrum est
Ferre iugum rigidi Tyrãni,

FINIS.

Hic est ille tanta mihi coniunctus amicitia, d: quo
in epta: .

153

IN CELSI ARCHELAI MELINI FVNERE AMICORVM LACRIMAE

FL. PETRVS MELINVS IO. MATTHEO GYBERTO S. P. D.



Gisti mecũ per Pierium utriusq; nostri studiosissimum/ut quæ carmina fuissent hactenus in Celsi fratris mei memoriam ab amicis elucubrata/colligerem publicaremq; / quod sæpe alias in funeribus nonnullorum/qui publico totius Academiæ luctu complorati fuere factum ostendebas/ eius etiam exempli libris ad me datis. At eram quidem ad hoc mea sponte satis incitatus, ut collectas apud me haberem multorũ laudationes in eum frẽm qui mihi semp tam amandus/tam dulcis/tam in omni uita iucundus fuit. Lectitabam libenter illas/& prout in manus meas deuenerant conscriptas aliis etiam cõmunicabam. Sed ab editione pudor/me quidam pene subrusticus deterrebat. Ne scilicet aliquibus uiderer/dum fraternæ gloriæ prospicio, eam mihi forsitan aucupari / quod aliqua eius pars in me transfundi uideretur. Eam tamen tu uerecundiam ea proposita spe sustulisti/quod tam multæ tamq; doctæ officiosissimorum hominum lucubrationes/ qui Celsi nomen scriptis illustrauerunt/ facile sint effecturæ / ne ullo unq̃ tempore memoria eius intermoriatur/quo quid mihi gratius/ aut iucũdius esse possit? Accedit & illud quoq;/quod his amicorum officiis munio me ad eius desiderium æquiori animo tolerandum/perturbationemq; illam, qua tam repentinæ cladis quodam ueluti fulmine exanimatus/ipse etiam pene cõcidi/componendam. Deniq; si non perpetuam hinc medicinam/nõ exiguam tamen doloris obliuionem enancisci uideor. Quod & tibi euenturum spero/si ea legeris/siquidem infœlicissimũ eius casum / tu quoq; miseratus/pro singulari tuo erga eum amore / & eorum studiorum coniunctione/ quibus a pueritia q̃ diutissime simul operam dedimus/ aut proxime atq; ego & parentes mei/aut etiam æque cõgemuisti. Libenter itaq; præceptis & consiliis obtemperaui tuis/ qui tantæ cõsolationis præmium hinc mihi ꝓpositum aspiciebam / inde aũt persuasus erã/ex eo / quod te auctore tam amico tam sapiente factum esset/ nullam subsequi posse pœnitentiam. Vale.

IN CELSI ARCHELAI MELINI FVNERE. IO. PIERII VALERIANI EPICEDIVM.

CElse tuas alii laudes & nomina dicent,
Eximiumq; decus cœptis ingẽtibus auctũ.
Seu quo tu studio graiæ latiæq; Mineruæ
Florueris. Fandiq; potens tanta indole summum
Quæsieris uirtute locum, depromere curent.
Seu genus egregium, stirpemq; utriusq; parentis
Per tot auos atauosq; antiquæ gentis honorem
Maluerint celebrare/& doctis pandere chartis.
Siue tuis potius meritis insistere, quantum
Ingenio, atq; piis præstares moribus, ipsos
Qua coleres pietate deos, qua mente parentes.
Quam concors fraternus amor, quæ cura clientũ,
Qualis amicorum cultus, spes quanta Quiritum
Vnus eras. Vnus quoties in te ora trahebas
In te oculos. ita Roma tuis applauserat orsis.
Seu rerum excuteres causas/ortusq; latentes
Auctumq;/interitumq;, uices & mobilis æui.
Seu terram tractusq; maris dimensus/harenæ
Exigeres etiam numerum. Et sola concita cæli
Astra, polosq; suis mota/aut stabilita doceres
Momentisq; modisq; & certis legibus ire.
Siue autem celerem erigeres ultra ignea mentem
Sidera, & usq; altam cœli omnipotentis in aulam
Auderes inferre gradum, & mortalibus omnia
Explorare oculis summorum arcana Deorum.

Heu mentes hominum ignaras/heu uota fugaci
Cuncta pede, & primos uix ostentantia uultus,
Cum subito auertunt cursum/ & dilapsa per auras
Non reditura uolant. heu sempertristia nunquam
Fesso damna gradu properantia / nec satis una
Exsaturata lue/nisi quicquid pyxide tota
Clauditur effundant, semel ut data copia campi.
Nam uix alterius satis una obducta cicatrix
Vulneris, ex obitu dilecti Hieronis acerbo,
Ecce autem ut grauius transfigit pectora telum
Atq; maluz omne malis uelut unda supuenit undæ.
Quo genus/& magnis nomen uirtutibus auctum
Gratiaq;, & species, locuplesq; opulentia rerum
Si miseri ah tali uiduati prole parentes,
Quos iam annos aliquot spes est frustrata nepotũ,
Vt nauis sine remigio, sine munere ueli
In medio quondam pelago iactata, procellis
Omnibus obiecta, & procul omni ab littore, cũctos
Ventoꝝ flatus, scopulosq;, & saxa timebunt.
Quid tu autem infelix frater Petreie, duobus,
Quorũ instar dextræ, instar leuæ erat alter/& alter,
Fratribus, heu mors atra, breui tibi tẽpore adeptis,
Quid facies: q̃to fletu tua damna dolebis.
Nam ueluti truncus decisis undiq; ramis
De tribus unus eris, tanto & spoliatus honore
Despectus cunctis tibi forte uidebere, & ampla
Quæ pater æquabat cœlo pallatia, solus
Ne uacuas ædis/totq; alta cubilia cernas,
Interrupta iacere sines/pendereq; in æuum.

Quid uero, si forte Leo/qđ iã auguror/anno hoc
Mandet Agonales promisso munere ludos
Romæ instaurari genio, ueteresq; referri
Olim armis celebres, nunc relligione, triumphos?
Quando horum te cura manet, quid more parẽtu;
Magnifico insignis sumptu præstare parabis:
Læta ubi per mediam longo præcesserit urbem
Ordine pompa, alacres pueriq; & lecta iuuentus
Sublimes in equis/preciosæ in tegmine uestis
Ornati gemmis, auroq;, ostroq; superbi
Dextram oleis onerati & cincti tempora lauro,
Agmine quiq; suo, legionum exercitus omnis
Intermixtus iter carpet / tum pægmata in altis
Curribus, & uariæ species simulacra potentum
Vna ibunt regum, lituiq; tubæq; canoræ,
Atq; lyræ, atq; omnis Musarum arguta supellex
Læta canent/miraq; omnes dulcedine mentes
Mulcebunt, tota risusq; & plausus in Vrbe,
Hic tu auro trabeatus, equo exultante sub auro
Aureoq; in morem cinctus diademate frontem,
Agmen agens/atrosq; equites/lictoribus atris
Stipatus, iuuenis tanto decoratus honore
Primores inter, nil læta fronte, iocosos
Conuertes ludos in amari munera luctus,
Et plagas renouabis, & illo turbidus ore
Subiiciens oculis tanti argumenta doloris
Læticiam populi misera in lamenta retrudes,
Vsq; adeo lætis miscent Dii tristia rebus.
Et merito tanto deiectus fratre supremum

157

Ingemis/atq; illum miser, atq; hunc usq; requiris,
Et superos & fata uocas crudelia, nec te
Fidus amicorum coetus/caraeue cohortes,
Musarumue chorus/quarum tu dulcis alumnus,
Quae solae in miseris adhibent solatia rebus,
Vel minimũ mulcere queunt. Quis uerba/qs arté
Tanta in clade parem solando exquirere possit.
Nec tu hunc e coelo/Saturni ab sede/querentem
Nocte dieq; tuo te nomine Celse uocantem
Audis/at misero in luctu/& maeroribus altis
Esse sinis/surdasq; obdis tot uocibus aures
Celsum acclamantum / & tua funera deplorantum.
Hic igitur/quo Roma tibi uiolasq; rosasq;/
Exigui monumentum aeui/uitaeq; ruentis
Congerit/& manibus busto dat lilia plenis
Non flores ego, non serta/aut ullos tibi odores
Inspergam/aut aliis cumulabo altaria donis/
Quae tibi multa ferunt iuuenesq;/senesq;/nurusq;
Et Matres/quae te in primis fleuere pudicae.
Non etenim ista meus poscit sibi munera luctus,
Cui de morte tua/& tam saeuo funere/maesto,
Quod tua Mellinaeq; domus benefacta merẽtur,
Semper erit Sol obscurus, nox turbida semper.
Te propter, fratremq; tuum/curamq; parentum
Viuo ego/sed uitam inuisam te amice perempto.
Nam memini, infelix animam quo tempore agebã,
Vt uestra seruatus ope auxilioq; reuixi.
Ipse aderas/fraterq; tuus/tuaq; optima mater/
Grandaeuusq; senex Marius, morbumq; leuab ant

Illi opera,

Illi opera, uos officiis/& amore, precesq;
Cōmenti/duras potuistis frangere leges
Fatorum, & caro uitam implorare sodali.
At me non potuisse tuæ comitem esse ruinæ,
Vt gelida iam in morte tuis complexibus hærens
Exciperem fugiētem animam/tibiue æqua referrem.
Siccine rare puer nunq̄ rediturus abisti:
Nosq; ita nescio quo fugiendi ardore/tuarum
Ignaros rerum/de te nil tale timentes/
Inq; salutatos/fato impellente/relinquis:
O dolor/o immane nefas/o sidera iniqua,
Tam subito ex oculis nostris ereptus/acerbo
Oppressus casu/spumanti in gurgitis unda
Vitam exhalasti, & nostræ tecum omnia uitæ
Gaudia/spesq; omnes moriens bone Celse tulisti.
Idcirco ad tumulū/& malegrata hæc marmora circū
Hic, ubi celsa tibi frater fastigia tollit,
Aut ubi ripa tuo de casu nomen habebit/
A luce exoriente ad serum uesper/amara
Clade animum afflictus/tristi mærore peresus
Perpetuo in desiderio/dum uita manebit,
Impexum auulsus crinem/suspiria/planctus
Et lacrimas/& certa feram monumenta doloris.

M. HIERONYMI VIDAE CORYDON AD IO. MATTHEVM GYBERTVM IN OBITV CELSI MELINI

HVc ades o Gyberte, ferũt tibi cãdida Nymphæ
Lilia Seriades Nymphæ/ uiridemq; coronam
Floribus intexunt uariis/ & suauibus herbis.
Huc ades/ & mecum Mellini in funere acerbo
Da lachrymas, dignũ lachrymis miserabile funus.
Ille tibi/ pariter Musis dum assuescitis ambo/
Iunctus amore puer puero crescentibus annis.
Illum ego, dum referunt imo uix amne repertum,
Vidi pallentem uultus/ ac crassa uomentem
Flumina & informi turpatum lumina harena.
Ah dolor, infelix mater, miserabile uisu,
Stabat/ & ingentem tollebat ad astra ululatum.
Stabant grandæuusq; parens/ solusq; relictus
Frater, crudelesq; Deos/ atq; astra uocabant.
Vos tamen, o, Corydon quanto fera fata dolore,
Fata infelicis pueri ferat, edite Nymphæ.
Pastorem ante alios Corydonem Celsus amauit,
Celsus amor Phœbi, cui semper carmina cordi.
Incipite o Nymphæ, tristem renouate querelam.
Namq; ferunt illum immemorem gregis ire per altos
Horrentesq; nigra noctis caligine lucos,
Montibus & syluis crudelia fata querentem,
Dum solus mœstum fletu solatur amorem.
Has saltem tumulo uiolas/ hæc lilia saltem

Celse feram infelix Corydon/tibi munus inane.
Ante thymum fugient & apes / cythisumq; capellae,
Pascua laeta boues/liquentia flumina pisces,
Quam puer e nostro tu pectore dilabare.
Nulla malo sat erunt unquam solatia tanto,
Nulla dies aderit tanto medicina dolori.
Vos mecum hirsuti Montes, uos o Speluncae
Egelidae mecum discetis flere, meiq;
Testes uos eritis circum nemora alta doloris.
Naides ingratae, quae uos ima antra sub amne,
Qui fontes tenuere procul cum lapsus in undas
Infelix caderet puer/olim uestra uoluptas?
Carmina nil illi/nil doctae gratia auenae
Profuit/aut toties Satyros superasse canendo,
Quo cantante/suos tenuerunt flumina cursus,
Fluminaq;/& saeui requierunt murmura Cauri,
Dum canit & causas rerum/& secreta sagaci
Naturae penetrans animo rimatur opertae.
Quae primordia rerum/ignes qui sidera pascant,
Qui motus animos uarient, quae causa quietum
Aera sollicitet liquidi uacua atria mundi.
Tum quibus in medio uinclis grauis aere tellus
Pendeat, ingentes quae coeli torqueat orbes,
Quae maris undisonos uis tollat ad aethera fluctus:
His/spatia emensus coeli/terraeq;/marisq;
Adiungit, Phoebi occasus q̃tum absit ab ortu.
Omnia dilectum puerum quae Tityrus olim
Tityrus edocuit patulae sub tegmine fagi,
Dum iacet / atq; aestu in medio pecus omne quiescit.

Vos sæpe e uitreis properastis Naides antris
Ad cantus, Dryades ludebant undiq; circum
In numerum/celerisq; pedes per prata mouebant
Immixtæ Faunis/& Faunigenis Syluanis.
Lætari circum syluæ/lætarier agri,
Nunc mœstæ syluæ/nunc mœsti protinus agri.
Omnia muta silent(Celsus fuit)omnia mærent,
Infelix dulcem torrens absumpsit auenam.
Parcite Pastores, armenta auertite ab amne,
Infamem fugite amnem, alio procul ite Capellæ.
Atq; alios porro potum hinc discedite fontis.
Solus ego in ripa, misero deceptus amore,
Infami/Puer infelix tua funera flebo.
Sæpe tuum casum sera sub nocte querentem
Ipsæ me pecudes/ipsa & miserata uidebunt
Armenta, implacidæq; feræ tua funera discent.
Nulla erit hic pinus/non his in montibus Ilex,
Quæ non Celse tuum seruet in cortice nomen.
Addam carmina mœsta/ferum testantia fatum,
Quæ Pastor fertur uacuo inscripsisse sepulchro
Ipse infelicem Damon miseratus amicum.
Gaudia pastorum Celsus/rurisq; uoluptas
Occidit ante diem (Dii uestrum crimen)in undis.
Hæc Corydon, illi responsant undiq; ripæ,
Et uocem circum referunt ad sydera ualles.

PETREI ZANCHI BERGOMATIS THYRSIS.

A quo Celsi Archelai Melini mors deploratur.

LYCIDAS.

Vid tantum insano fœdantem pectora luctu
Funesta te Thyrsi iuuat tabescere in umbra
Ilicis? en pecudes nullo custode per herbam
Pascuntur, errantq; suis cum matribus agni.
Nec nomen late clarum Nesidos ad auras
Antra doces iactare/& pictas gramine ripas.
Sed tantum tristes referunt nemora auia cantus,
Tristinq; argutæ responsant carmina ualles.
Dic, luctus quæ causa noui carissime Thyrsis?
Dic age qui mœsto tanti sub corde dolores? Thyr.
Ah dolor/ah lacrymæ, singultibus interrupta
Ipsa nequit superas uox ægre erumpere ad auras.
Ah miser ante diem/merita nec morte peremptus
Occidit, & longo clausit sua lumina somno
Infelix Damon, crescat dolor/& lamenta.
O mecum luctus auræ ingeminate recentes. Lyc.
Pro facinus, carumne mihi mors abstulit heu heu
Impia mors Damonē, & funere mersit acerbo? Th.
Heu periit mea uita, animæ & solatia nostræ,
Heu periit Damon, crescat dolor, & lamenta.
Nec mirum o Lycida, primis data signa diebus
Hoc ante exitium, liquidos auertitur amneis

Immemor herbarum quadrupes, & crebra querelis
Frondiferum nemus, & saltus, & pascua complet.
Quin etiam patrios præterlabentia fines
Flexerunt retro mœrentes flumina cursus:
Ipse autem fractis uno caput abdidit alueo
Cornibus indignans Tyberis, urnamq; patentem
Impleuit riuo lacrymarum, & candida circum
Pectora fœdantes pugnis, atq; unguibus ora
Ceruleæ comites, scisso per colla capillo
Fleuerunt patrias mulcentem cantibus undas.
Vos mecum luctus auræ ingeminate recentes.
Te ne igitur torta innocuum uertigine torrens
Obruit? Infamis torrens, quæ præmia rapto,
Quas laudes, quos & titulos Damone reportas?
O utinam extremæ uideam sub tempore brumæ
Cum rapidi crescunt amnes/cum montibus humor
Soluitur/& largo descendit Iuppiter himbri/
Fundentem nullos stagno sitiente liquores.
Crudeles superi/crudelia sidera, nunc me
Me quoq; nũc stygias comitem detrudite ad undas?
Nam qd ego heu sine te Damon, dulcissime Damon
Heu quid agam miser, aut uitæ quæ gaudia quæraz?
Te moriente omnis uiuendi erepta cupido.
Vos auræ o mœstas auræ ingeminate querelas.
Has igitur mihi spes, hæc & solatia dira
Liquisti o Damon? longum sine fine dolorem
Et uanum desiderium/& suspiria de te
Liquisti o longa iucundior unice uita.
Vellera cum setis aries mutarit/& hircus

Velleribus setas, dolor/& suspiria me me
Ah miserum me me linquunt, curæq; sequaces.
Hei mihi iam carmen suspiria interrumpunt.
Vos mecum lugete, nouasq; iterate querelas
Pastores, siqua est pietas, si funera tangunt
Damonis, uestri spes & solatia Damon,
Damon pastorum decus ingens, cui iuga sæpe
Nimbiferi appenini, cui Tarpeiæ arces
Demisere caput cantanti, ad carmina cautes
Venistis/rigidæq; altis de montibus orni.
Dumq; ille egregias laudes & facta Leontis
Personat, intonsi referunt ad sidera montes
Egregias laudes. Primus tu pascua nobis
Restituis, tu siderea demissus ab arce
Præsidium fessis rebus, dum tu optime Diuum
Terrarum late ingentes moderaris habenas,
Aurea sublatis remeabunt sæcula bellis.
Quis igitur capiti lymphas, heu quis dabit atros
His oculis fontes lachrymarum? ut plurima tristes
Abluat unda genas, tellus uicina madescat.
Vos mecum luctus auræ ingeminate recentes.
Vos gelidi fontes/Vos mollia prata ualete.
Vos umbræ altorum nemorum, nõ amplius ah me
Delectet uacua carmen lusisse sub umbra.
Vos cantus & plectra iuuent/mollesq; choreæ
Nymphæ noster amor. Nos & suspiria/& acres
Singultus/lacrymæq; decent/& funera tristia.
Hei mihi iam carmen suspiria interrumpunt.
Cur sine me elysia Damon spatiare sub umbra?

Concessum & sine me sacros ediscere cantus
Aegonis: quem Parthenope/quem cerula Siren
Iandudum obstupuit, summi cum saxa Vesevi
Et Gauri socio resonarent antra fauore.
Incultum solis in rupibus exigere æuum
Amentem iubet ipse dolor Damone perempto.
Donec sæua meos tandem mors soluerit artus,
Inuisam & dederit nobis abrumpere uitam.
Non tamen ante mihi torpentia lumina morte
Languescent, tibi q̃ Damon pia funera soluam.
Constituam & tumulum, & tumulo solēnia mittā.
Pastores mecum certis altaria donis
Et statuent, mecum & cineri fragrantia dona
Infundent, herbas adolentes, & beneolens thus.
Hic mecum formosa etiam tua cura Lycoris.
Naides & mœstis percussæ pectora palmis
Flauentes soluent crines, & busta profusis
Conspergent lacrymis, & fœmineo ululatu
Placabuntq; pios manes, & carmina dicent.
Quæ quondam edocuit niueas laniata papillas
Mœsta uenus, pharii cum funera fleret Adonis
Aeternum & salue singultibus intermixtis,
Aeternumq; uale, dicent, o maxime Damon.

I. Vitalis Rubimontii Panhormitani In Funere Celsi Archelai Melini Lachrymæ.

NVnc alias uocor ad lachrymas, qñ impia parca
Ah dolor/ in tenero crescentis flore iuuentæ
Hoc decus/hāc laudē/& studioꝝ hoc lumē ademit.
Ergo iaces fatis adeo iactatus iniquis
Heu miserande puer, cur in te numina diuum
Tantum sæuierint/cur tristia sidera tantum?
Fallaces hominum curas/& inania uota,
Cui pater infelix tam magnis sumptibus ædeis
Magnificas cælo æquabat? cui signa Atauorum
Magnorum alta tholis/lateq; locabat in atrio?
Irrita nunc tecum spes omnis/& omnia tecum
Vota cadunt, tecum solatia cuncta feruntur,
Ipse etenim nulla admictit solamina casus
Crudelis, cælumq;/ & fata immitia damnat.
Nam quis te/quis Celse Patrem soletur adempto?
An Mater, quæ te peperit? quæq; ubera labris
Admouit, nunq̄ue suis dimisit ab ulnis?
An frater? qui multa gemens/fratrem impia poscit
Numina/quæ fratrem e complexibus auellerunt
Fratris, & in solo decreuit uiuere luctu.
An nos? qui memores uirtutis/& indolis huius,
Indolis egregiæ, qua sidera clarus adibas,
Deficimus fletu, & casum miseramur amici,
Aetatemq; tuam extinctam florentibus annis,
Qualis adoratus lilii flos/aut Hiacynthi,

Vicinis si quando ruunt de montibus amnes
Vere nouo rapitur radice auulsus ab ima
Tenuis, adurgeturq; super fluitantibus undis
Languescens/nullosq; emittit in æthera odores.
Heu quantum amisit decoris pulcherrima Roma/
Quantum laudis/& ingenii/quantum indolis in te,
Quantus enim eloquii feruore/& fulmine fandi
Præstabas, nouit patria omnis, ut omnia ab uno
Pendebant ore ora uirum & stupefacta quierant.
Obstupuere omnes puerum/obstupuitq; Senatus,
Obstupuit Leo ter magnus, atq; hæc simul inquit.
Macte nouo ingenio puer/& præstantibus ausis,
Eia age magnarum laudum hunc ne temne decoré,
Nam, modo dii faueant, te non præclarior alter
Imperitetue foro/uel doctas excolat artes.
Dehinc autem Diuis soluebas uictor honorem,
Dum laudes memoras/& grandia facta deorum.
Nunc uero dolor ah patriæ/magniq; Senatus,
Extinctus miserande iaces/spemq; omnibus aufers
Crescentem magis/atq; magis. te Tybridis undæ
Celse/tuum interitum Nymphæ gemuere latinæ,
Et nunq̃ lætæ septem ardua culmina Romæ,
Nam quis te melior Naturæ arcana referre?
Abstrusasq; operum causas terræq;/poliq;?
Aut quis tanta uago moderetur sidera cœlo.
Sol unde/& gelidæ pallentia cornua Lunæ,
Quid tardum sidus Saturni/aut Martis iniqui
Humano generi/cogant mortalia secla,
Quinetiam ipsa tuum fatum/auersasq; tenebras,

Auersosq; deos/auersaq; numina Aquarii,
Mens tua/diuinis præsenserat argumentis.
Quid facias? qua fatorum legem arte moreris?
Heu q̃ difficile est placari sidera sæua,
Et cœli coniurati contraria uota.
Nunc autem extinctum crudeli funere deflet
Te Ratio, & concussa manus/laniata capillos
Desuper illachrymat/& nomine clamat alumnum
Mœsta suum/mœstis ĩmixta parentibus, illi
Vellent posse mori inuisamq; relinquere uitam.
At Genetrix ubi dilecti lachrymabile corpus
Exanimum aspexit nati sine nomine ferri
Incultumq; comas/ĩmundumq; ora/genasq;
Purpureas/insana ruit/similisq; furenti
Telasq;/& calathos/& mollia pensa relinquit
Nunc huc/nunc illuc totas bacchata per ædeis
Effurit/& faciem annosam/rugasq; senileis
Vngue ferit/canosq; ipsa ab radice capillos
Auellit/taleisq; effundit in æthera questus.
Hãc pompã mihi nate domu3 fers hos hymenæos?
Hæc igitur miseræ solatia digna senectæ
Affers nate tuis? heu rumpite/rumpite uitam hanc.
Exosam uitam/quid ad hunc seruare dolorem
Sperastis superi confectam ætate parentem?
Vixi ego ut hæc nate aspicerem? liceat mihi tecum
(Quando aliud nil iam miseræ mihi restat) eodem
Claudior in tumulo/& dulceis comitarier umbras,
Nam quid aga3/& plureis numerẽ q̃d inutilis ãnos?
Scilicet extremo donarem ut munere natum

Exanimũ, has lachrymas cape matris/ & has quoq;
Has etiam fratris, quando nil deniq; nobis (patris,
Liquisti moriens, nisi questus semper acerbos,
Semper nate mihi, dum uita manebit, amaros.
Quid miseræ matres fieri/aut cõnubia dulcia
Optamus? si nos nobis crudelia quæq;
Fingimus occursura, & natis tristæ timemus
Exitium, precibusq; deos uexamus iniquos
Nunq̃ exauditis, nondum ter bruma recessit
Improba nonne unq̃ mors exaturata quiescet?
Quo tu Hieron/mi Hieron/ tenues effusus in auras
Occidis, & tristi perturbas omine fratres.
Nunc aliud adgressa scelus te dura rapit mors
Celse mihi/& solus seruat Petreius amorem
Amborum/& desiderium/& uota omnia nostra,
Quem si fata. Sed o citius data præda leænis
Marmaridum, hyrcanisue apponar tygribus esca.
At si nate tuam fata immatura manebant
Florentem ætatem, nec tristia numina diuum
Te seruare tuis ad mitia tempora quibant,
Tum patriæ robur antiquum uictricibus armis
Seruasses horrens parma/& mucrone corusco
Inter mille horrentia pectora bellipotentum,
Pugnando saltem cecidisses/non miseranda,
Non deserta adeo/non te moriente uiderer
Omnino infelix/& rem solarer amaram
Multorum cum sorte pari, nunc ecce superstes.
Resto tibi genitrix effœta obsessa senecta,
Tu flore in primo/tu pubescentibus annis/

Quando

Quando aliquem fructum tantorum nate laborum
Expecto/eriperis crudeli morte peremptus
Inuidia Diuum/& Fatorum urgentibus iris
Mersus aquis, patriæ gratis a sedibus absens,
Noctis in obscuris umbris, non chara paterno
Membra thoro, heu miserum solatia uana parētum,
Accubuere super, non uitæ lumina linquis
In gremio Matris, non fratris frater in ulnis,
Non Patris in dulci amplexu multum lachrymātis.
Heheu non uidi morientem/& dura uocantem
Numina, non oculos tam duro in funere pressi
Nate tuos, non his adfiximus oscula labris.
Heu domus infelix/desolatiq; penates,
Quid faciam? aut quidnā cælū hoc/& sidera eternā
Impia? sic illa ingeminans complexibus arctat
Nequicq̄/æternumq; exanguibus oscula labris
Affigit/fœdatq; sinus/& pectora plangit.
Tu uero quando exutus mortalia membra
Celse per Elysios graderis pulcherrimus hortos
Aeternum salue/atq; uale, tibi (carmina nostra
Si quid habent uitæ) Parnassi in culmine summo
Cōstituam templum altum, & thura æterna dicabo,
Hic ubi uirgineis circumlustrere choreis
Aureus, & sacris celebreris uatibus/& Diis.

C

In morte Celsi Archelai Mellini/
Traiectu torrentis obruti.
Hieronymi Nigri Veneti
Lachrymæ.

INfelix Melline/tuos quo carmine casus
Deflebo? Quibus aut lachrymis æquare dolorē
Immensum potero? en lucis pertesa refugit
Calliope,& procul hinc tenebris se condidit atris.
Tu uero Aonidum spes/& solatia nostris
Morte tua afflictis rebus miserande iacebis
Ante diem/nostrumq; tuo iam funere funus
Præuenies. infanda dies/nec lumine digna
Aethereo/sed nocte premi/æternisq; tenebris,
Qua patriam/clarosq; atauis/proauisq; parentes
Liquisti abscedens,qua te miseranda uolentem
Tendere iter genitrix heu limina ad usq; sequuta est
Sæpe tibi reditum memorans,uerum omnia secum
Iussa leues Zephyri/& mandata/precesq; tulerunt.
Heu noctem inuisam/cui nec Latonia lucem
Clara dedit/uerum in tenebras auersa recessit,
Vt primum iuuenem cœlo prospexit ab alto
In præceps labi/& rapidis inuoluier undis.
Crudeles Diui,meruit si abrumpere uitam
Aeterno dignam imperio/& cœlestibus oris
Cur non hanc animam miserorum ante ora parentū
Inq; pii fratris complexu effudit in auras?
Ne pater infelix casu concussus acerbo
Eiectum sicca natum torrentis in ora

Q uæsisset/multocq̧ inuenta madentia fluctū
Mēbra super/lachrymis amnem istaurasset obortis,
Neue pio genitrix infelicissima nato
Pro reduci natum exanimum/& liuentia cernens
Pignoris ora sui subito exanimata tumultu
Implesset querulis totam clamoribus urbem,
Q ualis ubi extinctum/& lacerum crudeliter ora
Hectora mœsta suum uidit priameia coniux,
Q ualisue obsessæ quum primum e mœnibus urbis
Agnouit caput Euriali conterrita mater,
Prospexitq̧ atro perfusos sanguine uultus.
Felices nimium poterant uixisse parentes
Si natus primis potius cecidisset in annis,
Nunc o, nunc miseri nato uiuetis adempto
Cuius uestra manu fuerat spes lumina condi,
Et lachrymis tumulum inspergi/ & solennia mitti
Dona pio cineri/ac monumenta æterna parari.
Nunc aura ætherea uesci/cœlumq̧ tueri
Supplicium est uobis, Nunc crebris numina uotis
Exitium in uestrum/supremaq̧ fata uocatis,
Q uando aliter nati amplexus iterare frequentes
Non datur/aut ullum lachrymis imponere finem.
Sola hæc iam uestri restant solatia casus,
Q đ non hunc soli iuuenem defletis ademptum,
Nec tantum uestræ resonant plangoribus ædes,
Verum omnes/claudūt quos romula mœnia/colles
Dant gemitū/lugent siluæ / & nemora omnia circū,
Atq̧ imis lamenta refert e uallibus Echo.
Q uo fletu sede excitus Tyberinus ab ima

165

Extulit ora/uagusq; per arua effusus/& agros
Vt primum tantas hausit liquida aure querelas
Horruit/atq; metu uitreo se condidit antro,
Illæ etiam tanti causa execrata doloris
Crudeles undæ crudelibus imbribus auctæ
Vnius in miseri excidium/pro talibus ausis
Detrudi meruere imas Acherontis in undas.
Hinc nullum fluuio decus/& iam peruius omni
Est pecori locus ille sacer, fugere nefandi
Sub terram fluctus/siccusq; inscribitur alueus.
Ille autem infelix flaua resupinus harena
Deseritur uitam exhalans, nec inane cadauer
Siluarum horrorem inter/& inter lustra ferarum
Intactum longa & tetra sub nocte fuisset,
Ni subito auxilio excitæ ex Helicone Camœnæ
Has saltem exuuias in funera conseruassent,
Verum heu quas lachrymas doctæ effudere sorores/
Quos gemitus/quos singultus/quas corde querelas
Concentu traxere pio: quando irrita uota
Spesq; suas omneis optato fine carenteis
Inspicerent. Curas miseri, o, lenite parentes
Tot lachrymis/tanta & flentum comitante caterua.
Ille onere ex humeris posito/uinclisq; solutus
Liber ab exilio notis sese intulit astris.
Hic curas hominum/& uitæ infelicis amorem
Despicit insanum/summoq; e uertice olympi
Deridet uanas lachrymas/& inania uerba
Quis diuum surdas aures pulsamus amici,
Illa etiam quondam ingenti quæsita labore

Naturæ secreta/alti & penetralia cœli
Perlustrat/solio spectans tria numina in uno:
Nec tamen æternum/uitæ sine munere corpus
Condetur tumulo/aut cineri comes umbra sepulto
Semper erit, Veniet tempus quum frigida rursum
Ossa animam/& priscas uires agitata resument
Membra suas/tunc tunc superas rediuiuus in auras
Mellinus fracto attollet placida ora Sepulchro/
Tum poterunt caro circumdare brachia collo
Et pater & genitrix. Tuq; o spes una parentum
Petre, humeris qui magna tuæ tot stēmata gentis
Sustentas/Marii sola, & generosa propago,
Fratrem exoptatum tunc clara in luce reuises
Illustrem/ & multo radiantem lumine cœli,
Deq; tua lætum grates pietate referre.

INCERTI AVCTORIS.

Nocte sub obscura dum sese crederet amni,
Qui dudum pluuia creuerat auctus aqua,
Infelix Celsus/rapidas resupinus in undas
Voluitur, inq; caput terga repandit equus.
Celsus/quo primum decoris uestigia prisci
Tam iuuene/agnouit Martia Roma sui.
Amnis ut ante ieras utinam despectus abires,
Nunc primum heu tanto nobilitate malo.
Raro quidem assuetus pluuiis turgescere, dignus
Perpetuo nostris ut tumeas lachrymis.

166

LAOMEDONTIS TARDOLI CAMERI LACHRYMAE.
IN CELSI ARCHELAI MELINI FVNERE.

TVnc etiam ante diem fatis obiectus iniquis
Eriperis miserande Puer, cui fila Sorores
Diræ tam subito abrupere/ultroq; potentes
Iniecere manus/& flauo crine reuulso
Vitam immaturam mediis effundere in undis
Iussere/æthereamq; impubem linquere lucem.
Nec morum probitas/nec paucis insita uirtus
Nec tua mellitum redolens facundia nectar,
Non artes doctæ/aut uenerandæ gratia formæ
Fatorum potuit sacrata exsoluere iura,
Quæ modo in erepto nuper mihi fratre dolebam:
Ergo iterum uocor ad lachrymas/iterũ unguibus ora
Sanguineis fædare/& tundere pectora pugnis
Cogor inops animi. Satis heu nec fratre sepulto
Sors habet/atq; animæ nigras misisse sub umbras
Dimidium nostræ, læto ni damnet iniquo
Celsum etiã egregium, duce quo bõe Tardole postq̃
Liquisti me frater/iter iam inuadere ad ipsam
Sperabam metam/& celebrem contingere palmam:
Fata inuidere/ & rursum immedicata retractant
Vulnera/luctificumq; in uiscera saucia ferrum
Condunt. Ergo age atrox crescat dolor/atraq; noctẽ
Caligo ingeminet, satientur sanguine manes
Crudeles manes, & siqua inimica latinis
Numina. Quandoquidem Romanos lumine tanto

Orbauere patres. Celso at mihi tam male adempto
Certum uelle mori, Nam quid uitalibus auris
Vlterius fruar? amisso si fratre superstes
Quod tanta fuerat lumen de clade relictum
Tecum Celse aufers. sine spe / sine lucis honore
Viuam igitur? duris nec questibus æthera pulsem?
Occumbam potius / mortali & carcere fracto
Abrumpam indignãtem animam. imitissima quod si
Fata uetent, cælum crebris onerare querelis
Fas sit / & ingenti luctu omnia perturbare.
Quid primum sequar / & quo tandem fine residam?
Fortunamne incusem amens? tristesne Sorores?
Stellasne / & late per magnum errantia mundum
Sidera? funesti an numen dirum execrer amnis?
Quid tibi pro tanto crudelis funere torrens
Imprecer? o nunquam meritis satis æqua dature
Supplicia / aut miseros pœna expleture parentes,
Non si terrarum uenas tibi clauserit omnes
Iuppiter æquoreus / siccisq; inglorius undis
Florentes ultra nequeas errare per agros,
Quaq; per herbosos fuso nunc flumine campos
Effluis / & pleno perstringis flumine ripas
Des seruos cunctis aditus / & sola moretur
Tristis harena pedes fluuii uestigia seruans.
Tune atrox tanti fueris, qui turbine uasto
Ventorum / crebris & tempestatibus auctus
Et uirtute animi & prestanti corpore / magnum
Aequantem nomen Celsum deuolueris / alto
Cornipede excussum / rapidisq; immerseris undis?

Vicini tetigit te gloria scilicet ingens
Tybridis, Albano memoranda Rege procella
Quod rapto traxit magnuz ac memorabile nomē,
Quemq; olim indecorem uix accola nouerat ipse
It nunc & Mauris & nigris cognitus Indis
Albula Romanos solitus spectare Triumphos.
Siccine te impurum stimulis uexabat amaris
Liuor edax? cordiq; instabat dira libido?
Ne dubita/nam digna feres his præmia uotis,
Maior & a rapto ueniet tibi gloria Celso
Infamis torrens/longum memoraberis æuo
Venturo, & magno stabunt tibi funera tanta,
Inuisusq; urbi fueris/inuisus & orbi.
Quin hæc siquis iter carpet per prata uiator
Dira precans in te, & dulci lachrymatus amore
Subsistens comites sic compellabit euntes.
Ah qualem dedit hic stragem/quantiq; doloris
Romæ causa fuit, quanto populumq; patresq;
Affecit luctu/Celsum in tumefacta Melinum
Flumina quum rapuit/mediisq; extinxit in undis
Et talem tanto patriam spoliauit alumno.
Ah dolor ah damnosa nimis iactura, Quiritum
Omnium ut exercuit lachrymis Tybris pater, ille
Terq; quaterq; altas superato margine ripas
Turbidus æquauit/dare pessum tecta domorum
Atq; arcem atq; Deorum irrūpere templa minatus
Nam quales hausit gemitus? quæ funera uidit?
Quam multis summa incendi clamoribus astra
Audiit, ingenti dum funere circumfertur

Perq; urbem

Perq; urbem/sacrasq; domos/& strata uiarū
Exanimum corpus. Lachrymans hæc fatus ita unā
Cœptum carpet iter/te detestatus/& undas.
Te uero excellens Iuuenis, quem flemus ademptum
Iam nunc Elysii tendentem ad amœna uireta,
Felicesq; nouo peragrantem gramine campos
Aequalis tuus & studiis uersatus in iisdem
Tardolus excipiet, cuius iam nuntius aures
Perculit horrendus/dulci & complexus amore
Apprensaq; manu/ & lachrymis mixta oscula figens
Excutiet subita conceptum morte timorem.
Hisq; auidus primum iucunda silentia rumpet.
Verane tu facies/uerus descendis ad umbras
Elysii/insontes umbras/manesq; beatos?
An falsa exanguis uisus eludit imago?
O uita dilecte magis dum uita manebat.
Agnosco uultus/& lætum frontis honorem,
Ora/manus/gestusq; omnes/gressumq; decorum.
Quæ mihi/quæ tecum Celse affers gaudia? quātis
Casibus ereptum/per quanta pericula uectum
Nunc demum aspicio tuto succedere portu.
Quam metui rapidas quum tu raperere sub undas
Ne sine Sole domos/& stagna horrenda subires,
Sed Pietas/& cana fides/tuaq; inclyta Virtus
Sed te magna Dei genitrix/sanctissima uirgo
Crudelem miserata obitum/ atq; indigna ferentem
Eripuit tenebris, & luci reddidit almæ.
Sic fatus/comitem secum per sacra piorum
Atria/per uirides campos/& florida rura

Ad magnum recto deducet tramite Regem
Inuia mirantem loca uiuis. Ite beatæ
Cōcordesq; animæ, Eridanum seu propter amœnū
Calcatis dulci strepitantes murmure ripas,
Seu potius sedes late stellantis Olympi,
Accolitis/nostri memores/magnumq; Tonantem
Humano generi posthac labentibus annis
Conciliate pii. uestras mihi pandere laudes,
Dii modo dent uires / & nostra incœpta secundent,
Curæ semper erit. uos aspirate canenti
Victuri æternum/uatum præsagia ueri
Siquid habent/nec uana sacer prædixit Apollo.
Carmine nam uatum uiuax/cineriq; superstes
Fama aderit tumulis, de uobis sera loquetur
Posteritas / uestrumq; æuo ueniente Nepotes
Nomen ad astra ferent/ tantasq; in carmine laudes
Ore legent stupido. Teneris ut ab unguibus ipsam
Virtutem amplexi/ut duros perferre labores
Iuuerit/egregiæ contentos laudis honore.
Vt crescente æuo & tacitis fugientibus annis
Hæc fuerint uobis studia/hæc innata duobus
Cura animo/penitusq; imis affixa medullis
Præstantem ingenuas uitam excoluisse per artes,
Non aurum/non diuitias/non otia lenta,
Non uarias epulas/iuuenilia gaudia nunq̄
Præ studiis optasse piis/tetricaue Minerua
Fraudantes genium, discendi tanta uoluptas,
Tantus amor recti/& laudum generosa Cupido.
Vos rerum causas/uos magnæ arcana Parentis,

Motuſq; aſtrorum uarios cœliq; meatus
Multiplices Soliſq; uias/Lunæq; receſſus
Acceſſuſq; uagos/& cælo orientia ſigna
Noſtis/& immenſum uoluat qui ſpiritus orbem.
Non uobis animæ uires/non magna Elementa,
Non & uentornm cauſæ latuere. tepentes
Cur Zephyri/cur & nimbos pluuiaſq; madentes
Secum Auſter uehat, algenti cur miſſus ab urſa
Frigidior boreas pregnantia nubila pellat.
At tibi Pieridum in primis ſacra Tardole cordi
Semper erant/lætos Parnaſſi inuiſere ſaltus/
Aridaq; Aoniis ſaturare liquoribus ora.
Nec longum deſiderio deus abſuit, ipſe
Caſtalios Phœbus latices recluſit/& ultro
Dilectum aflauit uatem, . ſanctumq; leporem
Inſpirans placidis adiecit pondera dictis.
Diuinum hinc fluere actutum redolentia nectar
Carmina cœperunt/& nullo parta labore
Neſcio quid prædulce auidas dimittere in aures.
Hinc memorãt uolucres poſuiſſe ad carmina uẽtos,
Fluminaq; ipſa ſuum tenuiſſe fluentia curſum.
Seu Diuum laudes caneret ſeu Martia bella,
Seu tenui calamo paſtorum diceret ignes.
Aptior ille feros plebis ſedare tumultus
Facundo eloquio præſtans/& grandibus auſis,
Aptior & ſuaui patres populumq; Q uirini
Sermone/& longis deceptum ambagibus/ut res
Exigat/in quaſcunq; uelit deducere partes.
Te Leo qui mundi Diuum uice tractat habenas

Pro patriæ decore/& pro magni iure Senatus,
Audiit orantem, totqꝫ admiratus in uno
Dicitur egregias iuuenili pectore dotes.
Felices igitur manes quos ore sereno
Exceptos deus emerito decorauit honore.
Felices sequitur uiuax quos fama sepultos,
Quos immortali uatum pia cura colendos
Carmine suscepit, celebriqꝫ ad sidera cantu
Tollere, saluete æternum/æternumqꝫ ualete.
Tu uero Aonidum/& Phœbi altera cura superstes
Petreie/in quo omnis domus inclinata recumbit,
Ne cede aduersis/fortunæqꝫ aspera tela,
Mortalesqꝫ uices/inimicaqꝫ sidera temne.
Tempus erit (nec uana cano) mitissima nigros
Auertent cum fata dies/solemqꝫ reducent.
Nam neqꝫ apud Scythiæ populos/tanaimqꝫ niualē,
Sæuus in euxinum nec qua deuoluitur Ister,
Perpetuo triste obducunt mala nubila cœlum.
Post hyemes sed enim pluuias/gelidasqꝫ pruinas
Sole calet tellus/& formosissimus annus
Vere nouo properat, mediæ quin tempore brumæ
Sæpe Aquilo nubesqꝫ graues/madidasqꝫ procellas,
Instantesqꝫ fugat pluuias/cœlumqꝫ serenat.
Quod si nulla alia potis es ratione dolorem
Lenire/atqꝫ ima ad præcordia uulnus adactum est.
Hoc saltem aduersos casus solare/quod omnes
Deprompsit pharetra immitis fortuna sagittas,
Quod deest uulneribus locus,
& iam lassa nocēdo est.

PETRI CVRSII CARPINETANI.

Raium maximus omnium futurus
Quum se ad fulmina præpararet oris,
Ad sæuas pelagi minas tonabat.
Non ut quid tumidis obesset undis,
Aut sic ut tumidas caueret undas,
Sed olim ut populi obstrepentis ora
Voce uincere suesceret diserta.
Ast tu dum Latii tuere caussam
Celse amor patriæ / & stupor scientum/
Tam raro eloquio uteris, Leone
Coram Pontifice optimo/erudito,
Et quot Roma colit uirum corona,
Non ut dicere/sed tonare uisus,
Nec sis uulnera/sed dedisse strages.
Hic heu heu dolor, heu timor, ꝑpiquas
Vndas impulit/inuidumq; calcar
Celsum mergere, ne uelut uirorum
Traxit pectora uictor audientum,
Ac motus rapuit potens per omneis/
Sic si sistere fluminum luberet/
Lapsus sistere fluminum ualeret.
Ha ferus dolor, ha timor pudendus
Celsum perdere tale nil cauentem/
Imberbem iuuenem/ mali immerẽtem/
Osorem sceleris/doli fugacem,

170

Ni sit/aut dolus/aut scelus putandum/
Res gestas bene ciuium suorum/
Has siquis male carpsit inuidendo
Ausus facta Quiritium eleuare,
Culti dotibus ingeni tueri.
O mortem miserandam/& execrãdam
Cunctis gentibus/omnibusq; seclis,
Cunctis numinibus poli/soliq;/
Hortorum/nemorum/locorum/auari
Diis ipsis quoq; pessimis auerni.
Vnius fluuii Deo probatam.
Tali si fluuio deus sit ullus/
Nomen cui dare noluit uetustas,
Qui paruis sine horrore serpit undis:
Et tantum est subito timendus auctu.
Sed quis esse deos putet sub undis?

PERSEI VOLTEI BONONIEN.

Hic Hic docta cohors studiis addicta seueræ
Pallados/hic plena spargite dona manu.
Perpetuisq; locus niteat sacer ignibus/ara est
Maxima/& hæc sanctũ marmora numen habẽt.
Scilicet ante diem Celsum mors abstulit atra/
Et fuit exiguæ non leue crimen aquæ.
Vestri etiam propria agnoscant ut numina cætus:
Et sit quem lachrymis iam uenerere piis.

GABRIELIS RVBIMONTII.

TEmpore quo melius poteras Melline perire:
Vt tua mors cunctis inuidiosa foret?
Maxima/te propter/sibimet est reddita Roma,
Et Cicero ille sua est dictus in urbe loqui,
Et nunc illa eadem rerum pulcherrima Roma
En tecum effertur exequiis paribus.
Quam bene cum patria, & patriæ uirtute iacebis.
Quam patria ipsa tuo iuncta simul lateri/
Hæc igitur mors uita tibi est, quæ te simul effert,
Et patriam, & patriæ spemq;, decusq; tuæ,
Atq; etiam quæ in te, & linguæ torrente reuixit
Tota tuæ, tecum/tota iterum moritur.

INCERTI.

QVid te mors medias Cellum imersisse sub undis
Iactas? & facto facta supba tuo es?
Falleris, haud tanti esse datur morti, obrue Cellum,
Abde herebo, tenebris occule/Cellus erit,
Qualis erat, rerum causas quum panderet altas,
Siue domi, medio seu daret illa foro.
Qualis erat, pleno quum fulmina ab ore ciebat,
Pro patria quum tam nobile adortus opus.
Nempe hostes quum Roma tuos expelleret urbe,
Non passus nostrum degenerasse genus,
Vt quis iaceat nunc infelicibus undis

Obrutus, hunc timeat Rhenus & Oceanus.
Et latias quisquis laudes immanibus ausis
Tam temere in tenebras uoluere posse putat.
At tu sancte Puer uatum pia cura/per alta
Atria qui nostris liber ab exuuiis
Omnia collustras/& certo lumine tangis,
Carcere in hoc quæ mens cernere nulla potest,
Cui non scita Deum, cui non incognita terris
Abdita/non uasti quid ferat unda maris.
Respice nos/qui tot lacrymis te flemus ademptum
Nobis, ipse loco sis meliore licet.
Fleuit Roma, ipse ingemuit te Celse perempto,
Qui toto Diuum nunc gerit orbe uices.
Nempe Leo. Ille pium uersu testatus amorem/
Ille parat casus nunc monumenta tui.
Non igitur non Celse cadis, tua gloria uiuet,
Et partum ingenii nobilitate decus.
Salue o qui excellens in pubescentibus annis
Multorum exsuperas splendida facta senum.
Nostra autem pubes multos, quos æquet, habebit,
Sed, quem admiretur, deniq; solus eris.

NICOLAI. CHORI. VALERIANI. MELITAEVS.

OCciderat rapidas Melitæus lapsus in undas,
Pastores inter princeps Melitæus, & amnis
Corpore iam exposito funestæ in margine ripæ
Sese imo abdiderat sceleris sibi conscius antro.
Vndiq; conueniunt, quibus agri cura colendi,
Et queis cura gregis/uel apum/uel fertilis horti,
Mæsti omnes/longis consumpti fletibus omnes.
Hic ubi soluebat puero pia iusta Palæmon.
Quos inter Daphnis/Melitæo æqualis/in iisdem
Assuetus studiis dulcem traducere uitam,
Omnia nunc socio durissima fingit adempto,
Ingemit, & questu lucum omnem incestat amaro.
Te ne ego defuncto uiuam Melitæe superstes?
Pastorum Melitæe decus/mea maxima cura,
Iucundæq; mihi quondam spes unica uitæ,
Montibus in nostris quo non præstantior alter,
Seu calamo certare leui/seu dicere uersus,
Aut agili cursu/aut forti contendere lucta.
Quis melior ruris cultus/& tempora nosse?
Quo messis facienda/& ager quo sidere arandus?
Qualem illũ heu memini Tarpeiæ in uertice rupis,
Quum pecudes sub Sole graui clausisset in umbras,
Damonis dulces Siculi pastoris auenas
Inflare? Ah secum frater cantabat Amynthas,
Ante diem ipse etiam nuper præreptus Amynthas,
Damœtasq; modos faciebat/frater & ipse,

172

Par amor/& nostri quondam tria lumina ruris.
Sed qualis/quantusq; animis/& munere linguæ
Hos inter Melitæus erat, seu certa doceret
Pastorum ueterum ruris præcepta colendi,
Seu numeris uarios iuuenum recitaret amores.
Nanq; canebat, uti Sole aduentante/pruinæ
Inciperent primum euanescere, ut arida tellus
Frigoribus/gelidoq; Aquilone astricta aperiret
Laxaretq; sinus Zephyris uenientibus/& quos
Gramineoq; thoro/& uiridi expectasset in aula/
Iamq; salutatis thalami in penetrale receptis
Optatos daret amplexus/& dulcia fessis
Oscula libaret, geniali & munere iuncta
Spargeret his flores uarios, gēmæq; per omnes
Arboreos ramos radiarent diuite cultu,
Argutisq; modis auium nemus omne sonaret,
Quæ Veneris dulci poterentur munere passim.
Spicea deinde seges cur mox horrescat in agris,
Arboribusq; comæ pereant/& gramina campis.
Cur glacialis hyems fluuios in marmora duret,
Quoq; cadant signo pluuiæ/quo flabra Aquilonis
Horrorem incutiant syluis/& montibus altis,
Vnde instar lapidum uis grandinis ingruat agris.
His ille/his longos solitus mihi condere Soles.
Sed quo hæc nunc abiere? tulit secum omnia torrens
Infelix torrens/& detestabilis alueus.
Hæc Daphnis, longo & fletu simul ora rigabat,
Et simul astra/simul Diuum legem incusabat.
Tum pius excipit/ipse etiam madido ore/Palæmon.

O præstans animi iuuenis quis te mihi casus
Abstulit? inq; undas & spes, & cōmoda ruris
Tam subito immersit/rapidisq; extinxit in undis?
Dic mea dic funus Melitæi fistula mecum.
Te extinctum Melitææ alto ex Helicone Camœnæ
Flent, & nulla suo meditantur carmina Phœbo.
Te Satyri/Fauniq; omnes certare canendo
Assueti tecum/quantum inuidere/priusquam
Occideres/tantum amissi tua fata queruntur.
Dic mea dic funus Melitæi fistula mecum.
Tybriades Nymphæ/septemq; a collibus omnes
Siluarum/nemorumq; Deæ/pictæq; Napeæ,
Dum flores/& serta tuo de more Sepulchro
Accumulant/lamenta sonāt/ strepit undiq; murmur
Et planctus gemitusq;, modus nec fletibus ullus.
Dic mea dic funus Melitæi fistula mecum.
Te propter/fatumq; tuum nunc Naides antra
Ceruleasq; domos/& amata sedilia linquunt
Infensæ fluuiis/infensæ fontibus ipsis.
Dic mea dic funus Melitæi fistula mecum.
Ipsi te flores/ipsa hæc arbusta canentem
Audirent quoties/lætari uisa, sed ipsi
Nunc lugent flores/atq; hæc arbusta peremptum,
Nanq; arent flores/gēmas arbusta recondunt.
Dic mea dic funus Melitæi fistula mecum.
Pan Deus abiecit calamos/& carmina, auenasq;
Ipsas, & pecus infelix/pecudumq; magistros
Deserit/& solus tacitis se condit in antris,
Immemor & cantus nullos meditatur amores,

Sed quibus incuſet uerbis fata impia quærit.
Dic mea dic funus Melitæi fiſtula mecum.
Quiq; olim edocuit cantum te pulcher Apollo
Inſidias queritur noctis/tenebraſq; malignas,
Expoſcitq; ſuum Melitæum ſidera/& omnes
Cœlicolas, nec iungere equos/nec reddere lumen,
Ni reddant uitæ Melitæum, ſæpe minatur.
Dic mea dic funus Melitæi fiſtula mecum.
Mæſta Pales ſecum in ſicca ſpaciatur harena,
Atq; ubi preſſa uidet totis ueſtigia ripis,
Hic cecidit Melitæus, ait, mea ſola uoluptas,
Accuſatq; amnem/& uerbis caſtigat amaris.
Dic mea dic funus Melitæi fiſtula mecum.
Hos omnes circum colles/& paſcua circum,
Antraq; q̃ miſeræ uoces iactantur ad auras?
Heu periit Melitæus, amor/Venus aurea/Pallas,
Pan/& Apollo/Paleſq; gemunt Melitæum.
Heu heu ruris honos periit Melitæus in undis,
Ah diris undis/nimium crudelibus undis.
Deſine nil proſunt/mea fiſtula deſine, queſtus.
Triſtia ſic Daphnis, ſic ſoluerat ora Palæmon,
Atq; adeo in numerum fuſi circum ſimul omnes
Paſtores mæſtis geminabant uocibus/heu heu,
Heu heu ſeptem arces/& flumina quattuor heu heu
Nulla tamen luci Melitæum Numina reddunt.

GVIDI POSTHVMI SILVESTRIS PISAVRENSIS.

NOn ego de tumulo nasci tibi Celse precabor
Liliaq;, & rari tegmina odora croci
Nec te mutatum uiolas testabor in ipsas,
Id quod amat patriæ pars bona Celse tuæ,
Non rosa/non uiolæ/non lilia/non amaranthus
Digna obitus fuerint commemorare tuos.
Inueniant quem nondum aluit Dea roscida florem
Quem nondum carpsit pollice Flora suo.
Quiq; suis tantum niteat bene cultus in hortis,
Quantum tu patriæ splendor & orbis eras.
Iudice me potius (si quid bene facta merentur)
Inter clara nouum sydera sydus eris.
Et querulos temnes, inter cognata receptus
Numina, sollicito quos damus ore sonos.
Nos tamen his clausi tenebris/& carcere cæco
Ignari/reditus flemus in astra tuos.
Infelix puer/atq; hyemi male credite aquosæ
Quantum & qualem heu heu te breuis urna tegit.
Implesti Senij numeros/numerosq; iuuentæ,
Mens tibi & uni hominum contigit ante diem.
Tun miserande iaces? nec iam prece/nec precio ullo
(Heu pietas) matri restituere tuæ?
Matri obitus cupidæ/Matri quam linquere es ausus.
Et patrem tantis/& patriam in lachrymis.
Tolle caput bone Celse/nouissima dicta parentis
Excipe/& hæc mœstis uerba iterata sonis.
Nate meæ lachrymæ/rapidarum crimen aquarum

174

Reddite frustra imo e gurgite nate mihi.
Nate, ego quem trucibus peperi, atq; imitibus undis,
Quarum æqui memores non habet ulla Deos
Hoccine uultu, oculis potuisti occurrere matris?
Talem ne heu miseræ te mihi nate refers?
Hei mihi qualis ades? quam non meus ille uideris,
Hoc mihi qui assueras dulce referre caput.
Hæccine tu a magno portas subscripta Leone?
O pereant fasces, & cupidæ urbis honos.
Vortex inmitis, uortex, qui non tamen æquas
Hæc, quæ de nostris flumina eunt lachrymis,
Quã melius poteras miserã hãc mihi claudere uitã,
Mergere & ista, premet quæ tamen, ora, dolor.
Hæc, & plura ferunt miseram ingeminasse parentem.
Mox quoq; & ante ipsos procubuisse lares.
In lachrymas patienter abi mœstissima Mater,
Mnemosynem luctus participem huius habes:
Conticuit Clio, nec iam amplius ora resoluit,
Hoc uno postquam destitit ore loqui.
Et Natura parens, & aquis Sophia obruta in iisdem
Hei mihi in æternam est iussa silere diem.
Cum loquerere alto ex solio Decimumq;, patresq;,
Hic tibi Roma caput, hic tibi fulmen erat.
Si non (ceu quondam) bello tibi cedit & armis,
At dabat eloquio gens fera quæq; manus.
Hoc iuuene amisso, fandi tibi gloria adempta est,
Cumq; tuo imperio concidit oris honos.
Ter, quater infelix puer, & dolor urbis, & orbis,
Digne diu propriis qui fruerere bonis.

Ille tuæ torrens facundaq; flumina linguæ,
Quæ modo manarunt pectore tanta tuo,
Hei mihi / quam cœpere modis arescere miris,
Hei mihi/quam sæuo diriguere gelu.
Flexisses lachesim eloquio, sed pollice fixo
Illa sagax geminæ clauserat auris iter.
Clauserat & geminos demissi luminis orbes,
Ne scelus hoc æquis cerneret unum oculis.
Indoluit tamen/& fortunam habuisse nocendi,
Et nescire ullum se pietatis opus.
Iura Deum/& leges/ & ineuitabile fatum/
Teq; /suas/propter non probat illa colos.
Romula septenis fleuit te uocibus Echo,
Nec tantum extremos rettulit illa sonos.
Sed conata queri/& scelus hoc graue ferre sub auras,
Nunc demum ante alios/& prior ausa loqui est.
Ipsum illud flumen, quod te atro absorbuit æstu,
Credibile est sceleris pœnituisse sui.
Ipse loci Genius, quod non tibi Celse cadenti
Affuit/heu mento supposuitq; manum,
Delituit, rerum & domino se immiscuit amni,
Sese hominum inuidiæ non ratus esse parem.
Amnis inaccessæ timor atq; infamia ripæ,
Qui neq; perpetuus legittimumq; fluis.
Quæ laus? quæ spolia ex illo tibi tanta fuere?
Heu quanti hæc stabunt funera acerba tibi.
Si male notus eras/& erat tibi gloria cordi,
Nomina quæsisses inuidiosa minus.
Dira rudimenta & sæclis damnanda futuris,

175

Per scelus/& tristes nomen habere dolos.
Non Volusi aut Bauii deerant, quos perdere posses,
Eximia unde tibi gloria parta foret.
Heu tua in hæc quotiens diuertet stagna uiator
Flebit, eritq; tui criminis usq; memor.
Vitemus fluuium hunc infamem funere Celsi
Dicet, & inde alio uel graue carpet iter.
Felix Celse tamen/superos tua funera tangunt,
A magni lachrymas ore Leonis habes.
Nec tantum lachrymas/sed & alti pectoris orsa,
Funestum cecinit carmen & ille Deus.
Vtq; tuos fleret casus mentem exuit illam,
Qua procul a terris exerit ille caput.
Certauere, quibus rupes Parnasia cordi est,
Morte tua liceat cui magis esse pium.
Carmina & hic cecinere, qbus pene Orphea uincāt,
Aequauere obitus nec tamen illa tuos.
Quod si etiam hæc tanto cōmunia scripta dolori
Et rudis/& dispar nostra querela fuit.
Aut patienter habe/quali te cunq; Camena
Fleuimus, aut casus luge age Celse tuos.
Deficimus lachrymis, quin nec satis oris habemus
Sunt quoq; per te hominum maxima uota mori.
Salue sancte puer/Cœlo edite/& addite Cœlo
Qui cum tot patriæ spes cecidere tuæ.
Cum nos uel media Cœli tuearis ab arce
Carcere in hoc tristes/sollicitosq; premi.
Sis felix/quæq; olim homines tua flectere sueuit
Nunc sit lingua tuis flectere prompta Iouem.

Quin fratrem/cui liquisti immedicabile uulnus
Vise tuum insomnis, semianimemq; leua.
Ille Deos, quod te primis rapuere sub annis.
Peierat infandi criminis esse reos.
At me/qui absumptus morboq; & inutilis annos
Demoror, o comitem coge age coge sequi.
Quidnã est, quod iam ullo uitæ capiamur Amore,
Ipsa tibi iniecit sæua ubi Parca manum?
Celse uale/bone Celse uale, tua fata sequemur
Nos quoq; non longo tempore, Celse uale.

FRANC. MARIAE. MOLZAE.

IGnote o Vortex undis pluuialibus aucte,
Atq; idem fallax cum fera sæuit hyems.
Tuq;, o si qua tenes obscuri gurgitis undas,
Nais & exiguus numina Riuus habet.
Quo uoscunq; loco, Tybur seu propter amænum,
Seu Labicani qua uia trita soli,
Seu qua uorticibus rapidis ferit æquora Thybris,
Stringitis irriguis littora flexa uadis.
Postq̃ Romanæ per uos facundia linguæ
Concidit, & sacri languit oris honos/
Et qui uix firmos artus/uiridemq; iuuentam
Induerat/uestro hoc raptus ab amne puer,
Omne decus sæuæ tollatur funditus undæ,
Et retro uersas Lympha recurrat aquas.
Paruaq; muscoso tabescant flumina in antro
Arentem ut nequeant pellere fonte sitim.

Sed glebã inde auidus conuellat uomere arator,
Diducatq; udo iugera longa solo.
Si qua tamen, canis stillat cum montibus humor,
Auxerit infidos mobilis unda lacus.
Non illis, acres æstus cum accenderit agris
Delius, & pluuium flagitat herba Iouem.
Defendant rapidos implexa umbracula soles
Nullaq; det tenerum graminis herba torum.
Non ripas circum ramis uiridantibus Alni
Subiiciant sese/fronde nec uda salix.
Non uiolæ molles / immortalesq; Amaranthi,
Canaq; non uernis lilia mixta rosis,
Sed uepres tantum inculti atq; horrens Paliurus,
Proueniantq; atro dira aconita solo.
Quos inserta iuuet texisse nitentia flores
Hinc alio dulces quærite Hamadryades.
Nec uos candenteis artus posuisse sub unda
Nec iuuet infamem sumere fontis aquam.
At tu Celse animi quondam pars maxima nostri
Cuius in æternam lumina noctem abeunt/
Postq̃ dura quies/& inexorabile fatum
Oppressere animi tot bona rara tui/
Nec licet has iterum sine te, quas odimus, auras
Carpere, nec fletus ferrea pensa mouent.
Aspice qui coeant mœsti ad tua funera uates
Vtq; iuuet lachrymis inuigilare piis.
Maximus en tumulo uates / Phœbiq; sacerdos
Vida Aganippeum pollice tangit ebur/
Ille tuum inuolui nomen caligine opaca

Non finit/& magno digna marone sonat;
Cui mitis Gybertus adest, tenebrasq; sepulchro
Differt/& doctas conuocat Aonidas.
Me quoq; perpetuo uersatum turbine rerum
Isthæc pauca iubet dicta referre dolor.
I/Puer ætherias sedes/numerumq; Deorum
Aucture, atq; hauri/quas damus/ore preces:
Quiq; olim nostris fulgebas Lucifer oris
Ipse idem condens lumina Vesper abi.

HIERONYMI. CORFINI. VERONEN.

NOx erat/& magnum tenebris obduxerat orbē,
Abdiderant uultus sydera cuncta suos.
Cum patriam lætis Romam Minionis ab agris
Flos iuuenum Celsus forte redibat equo.
Paruulus est amnis, qua semita ducit ad urbem,
Quem nuper crebris auxerat imber aquis.
Ingreditur, medio quadrupes illabitur amni,
Vndaq; præcipitem uortice sæua rapit.
Hic fluuio obluctans/cæcus caligine noctis
Limum inter/rapido saxaq; torta uado/
O/si qua est Coelo pietas/succurrite, meq; his
Eripite o superum numina/dixit/aquis.
Si tamen exitio hoc digna est/quam puriter egi/
Vita/leuis uanas differat aura preces.
Talia iactantem torrens superantibus undis
Insurgens/mediis abstulit in precibus.
Vos decuit superi perituro parcere, quando
Qui proauos meritis uinceret/unus erat.
Quis posthac curare Deos mortalia credat/

Et Cœlum nullis legibus ire neget?
Credere sed malim, quod fas est, publica Cœli
Commoda sollicitos tunc habuisse Deos.
An ne putem superos, quos facta immitia lædunt,
Cernere tam dirum sustinuisse nephas?
At tu lenta quibus latitabas Nais in antris?
Si quas, ut perhibent, Naidas amnis habet,
Quæ raperes ulnis pereuntem gurgite ab imo,
Ne caderet magnæ nobilitatis honos.
At tibi, si qua polo possunt pia uota precantum,
Pro scelere hoc charæ ius rapiatur aquæ,
Et penitus/qualis Sole exoriente pruina,
Toto extinguatur nomen in orbe tuum.
At Celsus superet/nec Celsum deleat ulla,
Non, quæ olim terras destruet una, dies.
Celsus amor Phœbi/latiæ cui gratia linguæ
Tanta, hominum ut menteis ducere posset/erat.
Quiq; uias Cœli/connexaq; sydera norat,
Quæq; latent terris abdita/quæq; mari.
Qui tonitrus causas/pluuiisq; ex nubibus ignis,
Vnde homini tellus læta alimenta ferat.
Quam merito in luctus cõuersa es maxima Roma
Quam merito laceras pectus uterq; parens.
Quam Mellina domus tristi confecta dolore
Iusta tibi æterni causa doloris adest.
Nam citius retro Tyberis properabit/& ipse
Immensum includet alueus Oceanum,
Quam tibi par unq̃ Celso nascatur alumnus,
In quo spes urbis maxima/& orbis erat.

LEONIS . DECIMI .

P . M .

MIRARIS . QVOD . PONTE . ORNER.
VIX . MERGERE . PLANTAS.
APTA . SED . EX . PLVVIIS . AVGEOR.
ET . TVMEO.
TESTIS . MELLINI . CELSI . MORS:
IMPROBA . QVEM . OLIM .
VIX . IVVENEM . INVOLVI
VORTICIBVS . RAPIDIS .
PROVIDVS . ET . CASVM . INSONTIS
MISERATVS . AMICI .
HVNC . PONTEM . EXTRVXIT .
PP . LEO . X .

F

FRANCISCI MARIAE MOLZAE.

Hunc uenerare hospes tumulũ, lachrymisq; psu
Dona feras mœsta, mœstus & ipse manu. (sis
Immitis Lachesis/primo sub flore iuuentæ/
Mellini huic Celsi contegere ossa dedit.
Mors iuuenẽ/o/uanas nimiũ spes/ĩproba adegit
Ignotis uitam ponere uorticibus,
Ne foret, aut Sophiæ coleret qui puriter hortos,
Aut patrio nosset qui intonuisse foro.
Sunt tamen hæc duri puer/o/solatia casus,
Quod tecum elata est funere Roma pari,
Quod Vaticanus deflerit Iuppiter, & te
Exposcat lachrymis numina auara piis.

INCERTI AVCTORIS.

Quam sit Iustitiæ cultor Leo disce uiator,
Flumina/nedum homines/ipsa nocere uetat.
Hic/qm̃ Celsum Romæ decus abstulit amnis/
Cogitur inuisi uincula ferre iugi.

IO. FRAN. PHILOMVSI PISAVRENSIS.

Mnemosynæ Aonides commendant rite parẽti
Hunc tumulum, quem nõ destruat ulla dies.
Tu quoq; uiue memor nostri, nec pocula Celse
Lethei nobis gurgitis ulla bibas.
Sed quodcunq; micas cœli in regionibus astrũ,
Irradia patrios mite piumq; lares.
Igne tuo lachrymas miserorũ extingue parẽtũ,
Hæc tuus e cœlo dona remittat amor.

IO. BAPTISTAE SANGAE. ROMANI.

Si precibus flecti manes/si fletibus ullis
 Fas foret, aut muto reddi animam cineri.
Certe horum desiderium/lachrymæq; uirorum
 Te Celse ex orci faucibus eriperent.
Veꝝ immota manent, nec mutãt numina legẽ,
 Nec semel amissam fas reuocare animam.
Quod licuit dant æterni monumenta doloris,
 Et sua constituunt ora/tibi tumulum.
Quare hoc/interitum infelix solabere acerbũ,
 Nulla unq̃ de te est quod tacitura dies.

M. ANT. CASANOVAE.

Dic age/dic custos Tarpeiæ Iuppiter arcis,
 Cur tua nunc nullum dextera fulmen habet?
Versum illud Celsi in linguã, quo tutior essem,
 Cum nouus inuasit culmina nostra furor.
Lingua erat illa meũ fulmẽ, nũc uester inermis
 Iuppiter est, nec/quo se tueatur/habet.

INCERTI AVCTORIS.

Extractũ ex undis quũ Celsum Roma Melinũ
 Efferret, tota & luctus in Vrbe foret.
Parcite ait lachrymis uicino ab colle Quirinus,
 Ne mea Roma auctis obruta inundet aquis.

FAVSTI. SABAEI. BRIXIEN.

Stemmate, diuitiis, multa uirtute, iuuenta,
 Ingenio, forma, moribus, eloquio
Clarus erat Celsus, tegiturq; hoc marmore par-
 Marmore si potuit gloria tanta tegi. (uo,

EIVSDEM.

Ignea quem uirtus euexit ad æthera Celsum
Extinxere undæ Cœlicolum inuidia.
Terra tenet corpus, circumuolat umbra sepulchrũ,
Effigiem Orcus habet, spiritus astra colit.

EIVSDEM.

VT noscas patriam, uirtutem, nomina, & annos,
Nil refert, satis est dicere, Celsus eram.

EIVSDEM.

ROma mihi patria ē, domus est Mellina, parentes
Ingenui, Sophia/& Rhetorice studium.
Celsus eram iuuenis/domino gratusq; Camœnis
Plurima quod linguæ spes fueram Latiæ.
Hæc mouere Deas in me Oceanitidas, illæ
Tranantem rapido gurgite me excipiunt.
Dum tenet hæc/trahit illa, aliæ rapiuntq;/feruntq;,
Liqui animam amplexus inter/& illecebras.

EIVSDEM.

Mersus aquis stygias Celsus tranauerat undas
Oblectans manes eloquio/& cythara.
Tunc Rex infernus sensit mitescere pœnas,
Tarda reuertatur ni in sua membra puer.
Sic anima egregia euadens uidet omnia luctum hic,
Ne bis mergatur/corpus inane fugit.
Spiritus unde errans uolitat per docta uirorum
Ora, hinc tot numeri/totq; sonant tituli.

IANI. CALVI. SENEN.

SI Sua cuiq; hominum benefactis premia reddunt
Numina/& est nostrum cognita cura Deis.

Nobile Mellinus sidus micat æthere in alto,
Quem mersit rapidis improba Nais aquis.
Nam pudor ingenuus, & mens fuit inscia fraudis,
Et nullo infecta est crimine docta manus.
Et casti mores/ & uitam puriter egit
Vobiscum Phoebi munera Pierides.
Ipsum homines igitur/ uēturaqꝫ sæcula noscent.
Celsum &, qui fuerit, fama loquetur anus.
Sed uos desinite/o/lachrymis implere sepulchrum,
Inuisas rursum ne patiamur aquas.

ANTONII. VALLAE.
TEANEN.

HIC Cineres Celsi, sortis miserabilis urna
Detegit, in primis inuidiosa satis.
Mergitur infelix/ subito torrentis ab auctu,
Dum male temptatis nocte recedit aquis.
Egregius/ frugi/ doctus/ pius undiqꝫ plusq̄
Bis denos annos/ nec solidos referens.
Vnanimis tumulos germani cura peregit,
Dum nimium propria languet uterqꝫ parens.

EIVSDEM.

Quod potuit Celsus fontes emittere Cellsos
Eloquii uere, fronte, manu, latere.
Inuidus, æternum famosus, uortice gurges
Corripuit, traxit, mersit, id omne simul.
Pro facinus dirum, ausum detestabile, & atrox.
Scilicet id fas est, ut piet ulla dies?
Ast Celsi, & superat laus, & superabit in æuum.
Quid ni: num & Celsum sic periisse iuuat?

INCERTI AVCTORIS.

Fortunatus eras, quod Celse in flore uigebas,
  Quod te Roma sua uidit in urbe coli.
Nunc multo magis es felix, quum desinis esse,
  Quum fleuit casus squallida Roma tuos.
I/morte/& uita felix, quando omnibus est sors
  Et uitæ/& mortis inuidiosa tuæ.

IO. BAPT. IVSTINI. TIFERN.

Celse/ita ne ĩ tumidas raperis miserabilis undas?
  Tam doctus iuuenis, tam probus/atq; pius
Nec tibi se opposuit Tybris pater ire uolenti,
  Debuerat casus ille uidere tuos.
Debuerant alii, quorum sub numine Roma est,
  Intra Vrbem inuitum te cohibere Dei.
At merito mox/quiq; sibi/timuere, Quiritum
  Dum lachrymis/Diuũ limina cuncta natant.

NIC. CHORI. VALERIANI.

Siccine, si quisq̃ Latio decus afferat ullum,
  Inauspicatum Roma reddis exitum?
Nam Pius Aeneas/Romani sanguinis auctor/
  Periit in undis obrutus Numicii
Te ꝓpter, qđ erãt quõdã hinc uoluẽtibus ãnis
  Tot inchoanda sacra/tot ritus tibi.
Et tu Marte satus Tarpeiæ conditor arcis
  Vt ominosa morte obisti Romule?
Scilicet æthereas hausisti in fluctibus auras
  I/nunc honores confer ingrato solo.
Sic bõe Gracche malo, & Marcelle, & Regule fa
  Sic Scipionum occumbis infelix genus. (to,

Et nunc lux Italum, spes nunc fidissima Romae
Praerepta Celsus / omniũ uirtutum apex.
Quos luctus, quas inferias, quae funera / nullis
Vrbi ante uisa moestiora saeculis /
Extulit? & quãto Populũ moerore, Senatumq;
Aflixit / undis obrutus pluuialibus.
Hem querar, hem fata ĩcassum te Celse reposcã,
Cui non pepercit Parca inexorabilis.
A / tibi tam iuueni / tam opulento / tamq; decoro
Virtute / doctrina / arte / & eloquentia.
Indigna Musae perculsae morte / supremam
Audisse uocem corruentis praedicant.
Cum tu hac / atq; illac raptatus gurgite uasto
Torrentis alti / & uorticosi fluminis
Clamares. Petreie uale dulcissime frater,
Pater uale, Mater uale, uale Leo.
Spes uestras / decus omne meũ / fructũq; laborũ
In unda, in auris, inq; harena quaerite.

IANI VITALIS RVEIMONTII.
AD IANVM PARRHASIVM.

SI mille hinc lachrymas / & inde mille
Dant Frater / Genitrix / Paterq; Celso /
Parrhasi pater eruditionum,
Quot credas dare lugubreis Camoenas?
Illum quae a gremio extulere matris
Inter candidulos suos lacertos,
Quae melle ambrosiaq; nutrierunt
Canentem simul / & simul sonantem
Heroum decus / & decus deorum.

181

Mox rerum docuere maximarum
Causas, & studia elegantiora,
Et quicquid sapiunt peritiores
Romani simul, & simul pelasgi.
Quot credas dare patriam relictam?
Quæ tantum decore hoc superbiebat
Inter Italiamqꝫ, Barbarosqꝫ
Quantum Gnosiocæ solent cupressi
Inter Iuniperos pusilliores.
Quot nos? heu memores boni sodalis,
Quem nobis mala flumina abstulerũt.
Quod si una totidem coisse riuos,
Et tot millia multa lachrymarum,
Et tot millia millium dolorum
Nobis cernere Iuppiter liceret,
Iam nos Romam aliam doloris, & iam
Miremur Tyberim nouum tumere,
Dolorum Tyberim atqꝫ lachrymarum,
LILII GREGORII GYRALDI.
Lete Pierides nouem sorores,
f Latinæ simul, & simul Pelasgæ:
Et quantũ est hominum eruditionẽ
Res digna est lachrymis Simonidæis.
Celsus interiit Melinus, ille,
Ille Celsus amor, decusqꝫ uestrum.
Vestra munera cui dedistis uni,
Cui rerum caũsas, latensqꝫ fatum,
Naturæ abdita, resqꝫ nosse, & ista
Nec fari minus elegante lingua,

Lingua, Iuppiter, elegante/docta;
Nec dum curriculo quater peracto.
Elei stadii. ah misellė Celse
Is nunc ipse tamen tenebricosum
Orci iter, licet unde non reuerti.
At uos pernicies/male ominatæ
Vndæ non tamen omnia abstulistis
Vobiscum, remanent/diu & manebunt
Melini monumenta sempiterna
Preclari ingenii/& perenne nomen:
Manebit pietas amorq; fratris
Petreii, & lachrymæ, & piæ querelæ,
Celsum que facient per ora uatum,
Celsi & perpetuo uirere nomen.

IO. BENEDICTI LAMPRIDII CREMONEN.

e Rgo Celsus iter facit per umbras
Ditis? o/reuirentis urbis alta
Spes quo non rediturus unq̄/abisti?
Sic amant superi. at nisi uetemur
De Dis dura homines loqui, relinquam
Non uos Di tacitos meis Iambis.
Num cœlum puduit nihil/Melinum
Celsum quod rapida obruisti sunda?
Hem uidit puerum pater senecta
Fractus. hem gelidum fouebat ulnis
Mater flēs/lacera os/comisq; passis.
Quid fratris pius ille mœror/usq;
Ereptum sibi se alterum querentis?

182

Quin & uisa fuit suam per urbem
Pannis obsita/nubiloq; luctu
Ipsa Roma deos uocare/& astra?
Quid ni? apex iuuenum occidit Quiritũ.
Exemplum indolis occidit, priori
Qualem uix licuit uidere seclo.
Huic sermo probus/huic pudor uenustus;
Huic dulcis fuerat lepos/peræque
Impellens animos & huc/& illuc.
Quid moror? siculis nouem sub antris
Sorores studio pari erudibant,
Esset qui decus unus inclytorum
Parentum/& ueteres referret artes.
Nimirum hoc scelus inquinauit Aurum
Temporum Leo Pontifex tuorum.

EIVSDEM.

φεῦ θάνεν ἠϊθέων ῥωμαῖος ἄωτος ἀγαυῶν
κέλσος, ὁ παντοίας πλοῦτον ἔχων ἀρετῆς·
εἰ δὲ θεοὶ τοὺς αὐτῶν οὐ σώζουσι πονοῦντας
πῶς ἡμῖν φεύγειν στυγνὸν ἔνεστι ῥόον,
ἀλλ' ἄγ' ἐπεὶ πάντας φθείρεσθαι ἄφυκτος ἀνάγκη,
τόλμησον πλήξαι οὐδὲν οὐδ' ἀΐδην
εἰ μὲν γὰρ μετὰ πότμον ἔστη μηδὲν, τί δέδοικας
εἰ δέ τι, τοὺς ἀγαθοὺς χάρματα πολλὰ μένει·
ὡς καὶ τοῖος ἐὼν ἐν τοῖς μακάρεσσι κάθηται
κέλσος, ὀδυρομένων καίπερ ἄληκτα φίλων:

EIVSDEM

Heu periit Cellsus patriæ noua gloria laudis,
Ille, & doctrinæ diues/& eloquii.

Q uod si etiam natis morituris numina desunt,
Q ui nos infernas effugiamus aquas?
Eia age, quando omnes uis acrior urguet eodem
Impauido nigros pectore temne rogos.
Nam si te nullum reddit lux dempta, quid horres?
Sin es adhuc, maneant gaudia certa pios.
Euge, licet totam luctu obscurauerit urbem,
Lætatur campis Celsus in Elysiis.

FL. PETRI MELINI LACRYMAE. IN FVNERE CELSI FRATRIS.

Ergo omnes dare iusta tuo Germane sepulchro,
Sortem omnes lugere tuã, & ferre undiq; busto
Dona sinam? tibi Roma parens/tibi tota parentet
Italia, & lachrymas uelut in communia fundat
Funera, te solus frater/te ego scilicet unus,
Q uem tu plus oculis/& plusq̃ frater amabas,
Attonitus/sine uoce/mei oblitusq;/tuiq;,
Erodens tacito mecum præcordia questu/
Indeploratum suprema in morte relinquam?
Non ita nos cari natos aluere parentes,
Non ita nos fraternus amor/non plurimus ardor
Doctrinæ unanimes coniunxerat, haud ita uirtus
Celse tua/& laudum summa ad fastigia tendens
Ingenium/moresq; tui/beneq; acta meretur
Vita, ut seposito hoc/intermissoue dolore,
Q ui mihi perculso uocem intercluserat omnem,
Te non compellem/& male grata silentia rumpam.

Sed quid agam? quo te iam adclamē nomine frater?
Heu nimium dilecte, animæ o pars altera nostræ,
Qui cum ego tot curas/& uulnera sæua solebam
Ex obitu alterius germani infixa leuare.
Et modo, nequa mihi superet non causa dolendi,
Subriperis heu Celse, domus certissima nostræ
Gaudia sub tenebras/æternæ in uincula noctis
Inuoluens, aufersq; omnes spes omnium inanes?
Ast ego, quos tumulos/aut q̃ monumēta doloris,
Quasue parē inferias? geminisne ferā una sepulchris
Iusta miser? geminosq; urna complectar in una?
Et te care Hieron, nostris qui abreptus ab ulnis
Nos adeo afflictos/tristi & mœrore peresos
Liquisti, cui tot lachrymas/cui rite supremas
Persolui exequias, exornauiq; merentem
Omnibus/ut potui/officiis, te ne optime frater
Cum Celso simul appellē? an repetam impia mortis
Fata tuæ? & renouem plagas? Tu prima labantem
Confecisti animum nostri pars maxima luctus,
Tu nobis solamen eras, tu mille laborum
Curarumq; comes. tu spes fratrumq;/parentumq;
Vnica, tu requies nostræ inconcussa iuuentæ,
Te propter quæ dulcis erat/dum uiximus una/
Iam sine te Taxo asperiorq;/& amarior acri
Felle futura mihi, siquidem tecum omnia frater
Omnia perdidimus, tecum spes nostra per auras
Elapsa/& retro tum primum uisa referri est.
Ecce autem, tamq̃ leuis hæc iactura fuisset
Spem generis tantam/uiolento turbine raptā,

Qui modo ſurgebas tenero cum palmite germen,
In te unum conuerſi omnes, Te ſcilicet uno
Celſe, quod abſtulerat ſors inuida, poſſe rependi
Spes erat, & damnis aliquam adfulgere ſalutem,
Cum ſubito fortuna ferox maiore ruina
Rumpit ab inſidiis, & tanti/a/funere fratris
Inſuper/a/ tantam cumulat furibunda ruinam.
Nempe illum Celſum/Celſum illum dira repente,
Pro dolor/in medio præterlabentium aquarum
Corripit, & puerum bibulis infigit harenis,
Quadrupedante ſuper reuoluto/& calcibus auras
Percutiente/armo coſtas & pectus hanelum
Diſrumpente/oſſa & tenera/attritoſq; lacertos.
Haud ſecus, ac ſummo ſi ripæ in margine palma,
Quæ folio felix uiridante ad flumina primum
Maturos iam tum procero/e/ſtipite mittat
Prouentus, quæ ruris honos/quæ grata colonis
Aſtra petat, ramoſq; alte diffundat in auras,
Hinc multi pauere oculos, hinc fortis ademit
Et ramos & poma manus, quando orta repente
Tempeſtas/magna ripæ cum parte reuellit
Arborem honoratam, tumidaſq; inuoluit in undas.
At miſer ille/miſer ſimulatq; atram undiq; noctem
Vidit, ſeq; undis ſenſit/ſe ueſte grauatum
Flumina in ima trahi/& tacitis circum omnia ſyluis
Deſerta/omnia muta/nec uſquam ſpem eſſe ſalutis/
Egreſſum nuſquam, ſed paſſim horrentia Mortis
Ora, quid infelix tanto in diſcrimine rerum
Attentet? quam nunc mentem induat? oīum egenus

Quid faciat? superos, poterat quã uoce, parentesq;
Et fratrem acclamabat. ubi es carissime frater?
Frater ubi es? ecquam in tanto fers turbine fratri
Frater opem? sed enim æternum. at iam plura parãtis
Dicere/pro scelus/immanis rapido impete torrens
Saxosæ tenerum ripæ caput illidebat.
 Illum Naïades simul & sensere cadentem,
Et simul accurrere, sed halitus omnis in altis
Fluctibus obstrusus uitalem extinxerat ignem.
Heu pietas, cum membra altum reuoluta per amnẽ
Iamq; solo uiridante/& aquosi in gramine campi
Vnda sui sceleris sibi conscia restituit, sed
Heu tarde. puer, o, nusquam puer, ora iuuentæ
Prima induta gerens lanugine/mœnibus urbis
Tum primum egressus, sic te tua fata trahebant.
 At cur non ego continui te Celse parantem
Ire? sed heu non continui, uerum impuli ut ires,
Germane/ut morerere/dedi, cur me omnia tecum
In discrimina/casusq; omnes non comitem una
Adiunxi? medio te a gurgite fluminis alti
Auertissem, aut in rapidum me protinus amnem
Præcipitans/undis memet super ipse dedissem,
Et uel te his manibus uiuentem/e/uortice uiuens
Eripuissem/aut te erepto tua fata subissem
Spõte, uel hanc miserã illo eodẽ tecũ obrutus amne
Præcludens animam/sociata in morte referrem,
Quod caderem cum fratre, grauis solatia casus.
Aut saltem pulchrasq; manus/& frigida tractans
Brachia/nunc superincumbens/nunc ultima carpẽs

Oscula / supremam quærentia lumina lucem
Clausissem , excipiensq; animæ fugientem auido ore
Halitum / & in gelidi expirantia pectora fratris
Reflando / uultum exanguem / morientiaq; ora
Fouissem, unde adeo felix / & dulce fluebat
Eloquium / & cultæ præcox facundia linguæ.
O mors intempesta / & inexorabilis / & uos
Cura quibus rerum est / o / implacabile fatum,
O mutata breui fallacia tempora cursu.
Fortunam inuidia insequitur, quunq; ulla triumphat
Dextra sorte domus , tum protinus altera luctus
Miscet / & iniecta perturbat gaudia leua.
Q ui status ante fuit nobis? quæ gaudia? donec
Vobiscum licuit mihi felix exigere æuum.
Sed fuit hoc licuisse nihil , sic fila iuuentæ
Crudeles uestræ breuia abrupere sorores.
Q uæ modo mœstitia est? & q status? omnia fratres
Læta mihi eripitis , nihil hic nisi fletus / & horror.
Omnia mœsta / atra oïa in ædibus , undiq; planctus
Et lamenta sonant / superestq; mihi una cupido
Soluere uinctam aïam / & uos fractis spõte cathenis
Pone sequi, quando infelix quodcunq; dedistis
Accedet uitæ , nec iam ullo tempore nobis
Lætus iit / uenietue dies, sed semper acerbus
Semper erit tristis, tetræ sine sydere noctes,
Et sine Sole dies, quin larga ad flumina desunt
Tot lachrymarum oculi / desunt quæ tristia radant
Ora manus / nec iam laniandis dextra capillis
Sufficit / aut longæ longa ad lamenta querelæ.

Quo nam ita/quo uestræ properato funere raptæ
Virtutes cari/o fratres? quo gratia dulcis
Amborum? & primæ sapientia cana iuuentæ?
Quo dotes animi? quo pectoris? omnia demum,
A/dolor, exigua pariter clauduntur in urna.
Et quoties aliqui tantos lenire dolores,
Assiduisq; modum curant imponere amici
Luctibus, & memorant uestrorum summa bonorū,
Qualis eras Hieron/ ueterum ut consulta parentum
Mecum enodares/ut doctæ Palladis artes,
Plusq̄ ætas daret, excoleres, utq; ante canendo
Ire pares/musasq; leui sociare chorea,
Et mecum sacro deducere monte solebas.
Et quo tu bone Celse animo/qua sidera cura
Seruares, uariosq; poli/astrorumq; meatus:
Incertum quid Roma magis mirabile de te
Spectaret, seu cum mediis excussa tenebris
Naturæ secreta sagaci mente uideret
Promentem, aut populi causas audiret agentem,
Quo cultu/quali ingenio/quo fulmine linguæ?
Atq; ita dum credunt finem statuisse dolendi,
Heu renouant planctus/renouant suspiria/fletus
Fletibus/horrendis & uoces uocibus addunt.
Tum multo grauior uestri iactura uidetur,
Inq; dies gemimus magis/& magis omnibus horis
Tristamur. Crescit uestri desiderium, ut uos
Tam celebres tota concordi nomine ferri
Italia audimus, bona tot sublata repente,
Atq;/uti somnia/de gremio efluxisse dolemus.

A/melius poterat nostros quum inuaserat artus
Vna lues/ægrisq; hærebat dira mali uis
Pectoribus, quum care Hieron sors te impia terris
Inuidit, iussitq; alias inuisere sedes,
Nos rapere/& mala tot communi absoluere leto,
Felici leto/treis si mors una tulisset.
Non etenim tanto consumptus lumina fletu
Te longæue Pater/confecta ætate/uiderem
Suspirantem imo de pectore/corde dolorem
Occultantem alto/singultusq; ore cientem
Continuos/uitam & miseram interrupta trahentem
Per lamenta/per erumnas/per mille labores.
Nec lachrymas Genitrix ueneranda/& tristia uerba,
Quis superos/hominesq; simul/simul astra fatigas,
Exciperem/luctusq; tuos, neq; testis adessem,
Pectora quum fœdas pugnis/frontemq; senilem
Vngue secas, tractumq; a uertice in ora capillum
Proscindis, toto prostata & corpore terræ
Puluere te immundo uersas, nec te ulla tenere
Vis potis est/totosq; dies ieiuna/dolore
Pasceris/& lachrymis, & longas usq; profuso
Flumine producis somni sine munere nocteis.
Nec me tam aflictum mea tanto Hortensia fletu
Vexares, tunsisq; genis/laceroq; capillo,
Quis neq; me simul elato maiora dedisses,
Socrus more tuæ/uel quum tua pectora palmis
Plangis/& exanguem nulli agnoscenda tuorum
Deturpas faciem/tenebrisq; abscondita lucem
Odisti, inuisamq; optas prærumpere uitam.

186

Nec te desolata domus/domus eruta ab imis
Sedibus/& formæ nunq̃ reddenda priori/
Spectarem in tantis mœroribus oblitam/& atro
Squallentem pallore/ululatibus omnia diris
Miscentem/& tanta nobiscum in clade iacentem:
Nec me infelicem/qui tot male casibus actus
Numine cœlestum auerso/tot luctibus atris/
Tot cogor superesse doloribus/hei mihi ludo
Seruaret Fortuna suo, mihi ue impia duram
Parceret in pœnam soli, nec tanta uiderem
Damna, nec incolumi optarem mihi funera, nec uos
Hac in parte mihi nimium pacata dolerem
Fata miser, tantis quæ me olim casibus/acreis
Per febres/longamq; luem, per quicquid amari est,
Per tot uitæ incommoda/totq; pericula uiuum
Eripitis, tantis superessem ut de tribus unus
Cladibus, & fratres geminos post multa meorum
Funera/in iisdem annis/a/infelicibus annis
Vtrumq; aspicerem ueluti rapido mihi ademptos
Fulmine/& extremo hic positos uenerarer honore:
Nec quererer diram in me unũ rupto ordine leges
Præuertisse suas Naturam. Ego Celse prior te
In lucem exieram uitalem, ego Celse prior te
Debebar morti. sed quid Petreie miser/quid
Expectas? uiuisne etiam/in suspiria mœstam
Tristia producens animam? & languore supremo
Tabesces? nec te tantus dolor obruet? heu heu
Infelix, age/uade/atris te absconde tenebris/
Ora hominum fugiens, per lustra inculta ferarum

Vitam age, perpetuis gemitus clamoribus adde
Aeternos, ſuccumbe immenſo / altoq; dolori,
Qui neq; Socraticis poſſit miteſcere chartis,
Tantum illos lugens: quantum illos ſemper amaſti.
Nempe tuis ut quæ longum ſtillabit ocellis
In largum exundet fontem, teq; obruat auctu
Vnda ſuo, ſic morte eadem cum fratre quieſcas,
Nulla nec aflictis adhibe ſolatia rebus,
Humidaq; impexam promitte in pectora barbam,
Et crines ale, & aſſiduo in mœrore / & acerbo
In deſiderio / caſu concuſſus iniquo
Tam cari fratris / lachrymarum in fonte relictæ
Exige quod supereſt uitæ, nec deſine fratres
Compellare ambo / ſæuamq; repoſcere mortem:
Redde mihi Celſum mors, redde Hierona, uel illis
Fratrem mancũ animũ / mancũ omnia / cũcta dolẽtẽ
Emiſſum / e / mediis tenebris / & carcere cæco
Tolle age / & abreptis cupientẽ unum adde duobus,
Pars ſi animi non una mei mihi rapta / tribus ſi
Vna eademq; anima / & fuerat ſi ſpiritus unus,
Quid faciã mutũ ſimulacrũ / aut quid morer ultra,
Quibis iam occiderim, nouies occũbere in horas?

Hæc hactenus collecta.

¶ In ep̃la corrige. pudor me qdã. A.2.a tergo. Vota abiere? Qualis & ita plæriſq; locis deeſt interrogatiõis apex. B.3. Qualis & ita plæriſq; locis deeſt interrogatiõis apex. B.3. Paleſq; odoratuſ. B.4. Tũ patriæ antiquũ robur. D.4. a tergo. Omnibus / ut potui / officiis. Periiſſe gemũt, G.2. a tergo.

Impreſſit Romæ Ia. Mazochius.